

RELATIO

(2)
Jedn

DE MISSIONE SACERDOTIS (pag. 20, 1):

Hodie, praesertim apud clerum jun iorem, videtur verificari mutatio aliqua ab aspectu morali ad aspectum socialem vitae christiana. Inde insistentia aliqua fortior quam ante circa id quod communiter vocatur "identificatio" cum populo. Qualiscumque referentia, etiam remota, ad differentiam aut separationem aliquam a populo radiciter et fortiter repugnat. Nemo negat desiderium authenticum ut sit sacerdos sit unus cum suo populo esse omnino commendandum. Nihilominus, non convenit oblivisci facti quod :segregatio aliqua inaheret ipsi conceptui vocationis divinae. In omni communitate cuiuscumque naturae, inevitables sunt distinctiones inter membra. Hujusmodi segregatio spiritualis jam a Sancto Paulo notatur (segregatus in Evangelium Dei) et de illa mentio etiam fit in Actibus Apostolorum quando Deus ipse loquitur de segregandis Paulo et Barnaba ad opus ad quod ipsoa mandavit.

Hoc sensu spirituali intellecta, segregatio ad castam non ducet, neque ad vindicandum statum privilegii. Potius generabit sensum profundiores majoris debiti, majoris obligationis, majoris servitii. Hoc sensu, segregatio et separatio non sunt ullo modo synonymi termini. Sacerdos ad id a Deo segregatur ut jaorem habeat intelligentiam majorum suarum resonsabilitatum, ut possit facilius res mundi aspicere sub aspectu aeternitatis.

DE EVANGELIZATIONE ET VITA SACRAMENTALI (pag. 20, sqq.):

Curandum omnino est ne minus aestimentur numerosi illi sacerdotes qui vitam suam dedicant ad activitates tales quae communiter non includantur sub voce "ministerium sacrum". Evangliezato multo magis implicat quam simplicem praedicationem et catechesim. Omnes agnoscent magnum momentu, imo necessitatem, illius quod vocatur "pre-evangelizatio", in qua considerationes ordinis stricte spiritualis non eminentem occupant locum. Magnum omnino momenti est praeservare adequatum equilibrium inter aspectum sacramentalem et aspectum, si ita loqui fas sit, praedicationalem, sacri ministerii.

Problemata particularis gravitatis inveniuntur quando agitur de illis fidelibus pro quibus adest tendentia confundendi vitam sacramentalem ecclesiae cum aliqua forma magiae. Conandum est ut tollatur hujusmodi mentalitas erronea, quamvis debeamus admettere quod forsitan semper erit possibile eliminare raditus omnia vestigia superstitionis. Hisce in adjunctis praedicatio debet esse positiva et systematica. Sed ultima solutio non erit in insistentia exclusiva in praedicationem, omissa administratione sacramentorum. Ex sacramentis enim profluet gratia particularis quae, ultra gratiamquae a praedicatione provenit, contribuet ad mentalitatem rectam efformandam. Praedicatio est

semper maximi momenti, sed ibi praesertim ubi fides non dum est satis vigorosa et activa. Ad nihil inservit anticipare opus divinae providentiae. Non possumus omnia facere nosmetipsi. Necessitas bonorum catechistarum non praeterunda est. Ubi cumque sacerdotes in ministerio occupantur, debebunt agnoscere necessitatem cognoscendi personaliter suos fideles, et alios -- apostolatus pulsandi ad januas (door-knocking apostolate)/

Ad novas formas communitatis christiana quod attinet, loco praesentis structurae paroecialis, coetus noster aestimat attentionem esse attrahendam ad gravia in- c ommoda quae ex hujusmodi formis oriri possent: auto-constitutio alicujus coetus privilegiati (elite), promotio sacerdotum qui ad tempus solum sese apostolatu dedicant, necnon liturgiae sic dictae "subterraneae". Hisce tamen non obstantibus, coetus putat tales novas formas contribuere valide poterunt ad bonos fines attingendos, dummodo bene ordinentur et dirigantur. Etsi episcopus possit semper permittere quasdam exceptiones, juxta adjuncta loci vel temporis, generatim hujusmodi formae inseri debebunt in structura paroeciali eidemque subordinari. Parvi coetus specialis contribuere possunt ad profundorem vitam Eucharisticam in communitate. Coetus aliqui speciales, quales essent, v.g. alumni universitatum et viri dicti "professionales", necnon alii, possent semper invenire modum p rovidendi suiis necessitatibus spiritualibus particularibus sine necessitate eis adunandi in paroecias vel quasi-paroecias separatas. Sacerdos habet semper munus ministri unitatis apud populum, et nihil deberet facere quoad in discrimen adducat unitatem integralem totius Ecclesie. Breviter igitur conclusimus 1) negari non posse fundamentales valores praticos strcturae paroecialis in sese consideratae; 2) novas formas communitatis admitti posse dummodo intra structuras paroeciales, generatim, astruantur; 3) hujusmodi formas constituit posse unice de consensu Ordinarii siue Consilii pastoralis.

Quoad activitates "saeculares" ex parte sacerdotis (pag. 22, II, 1, b), sive ut medium sustentationis vel alias ob rationes, nostra conclusio est quod in singulis casibus judicium efformari deberet sub luce 1) intentionis ipsius sacerdotis; 2) naturae ipsius laboris cui se dedicat; 3) approbationis Ordinarii.

DE ACTIVITATE POLITICA EX PARTE SACERDOTIS (pag. 23, 2):

Quibusdam in adjunctis activitas politica poterit esse vera obligatio inc conscientia pro sacerdote, praesertim ubi agetur de valoribus moralibus. Attentio revocatur ad delicatas situationes provocatas aliquando a sacerdotibus exteris qui, in natione ubi sacrum ministerium etiam laudabiliter exercunt, volunt ordinare et dirigere activitates politicas. Sacerdos deberet sedulo evitare participationem in illam activam politican quae anglice dictiur "partisan politics", quia positio assumpta pro una parte necessario diminuet influxum supra alteram partem controversiae, et sic facile damnum inferet ministerio suo ministri unitatis. Verum omnino est quod aliquando quaedam quaestiones politicae vocantur, quando agitur fundamentaliter de quaestionibus moralibus, quae ut tales a sacerdote debebunt praesentari. Certae etiamquaestiones poterunt aliquando considerari tamquam "tentative" morales, id est salvo ulteriore judicio et eventuali mutatione opinionis.

Convenit ut sacerdos evitet publicam discussionem quaestionum quae sunt aperte controversiae, curando modo omnino speciali ne ad pulpitum recurrat tamquam ad scutum protectionis contra discordiam a sua opinione vel contra justam criticam. Nullus sacerdos hodie obliuisci poterit dimensiones politicas existentiae humanae.

DE CO-RESPONSABILITATE IN ACTIVITATE PASTORALI (pag. 24, III):

Mens coetus nostri fuit quod expressio "co-responsabilitas" sit aliquo saltem modo infelix, quum videatur insinuare aequalitatem responsabilitatis in variis gradibus. Melius dicendum esset "responsabilitas participata". Hoc vero nonobstante, mens erat unanimiter favorabilis ad majorem participationem sacerdotum in responsabilitate pastorali episcoporum. Hoc sensu, episcopi reverebuntur sacerdotes suos tamquam genuinos collaboratores in vinea Domini, et non tantum ut socii quorum societate exhilarantur.

Erroneum esset putare dismembrationem magnarum dioecesium vel dioecesium quae unam urbem continent, esse panaceaem pro solutione omnium problematum pastoralium. Numerosae et graves instant difficultates, inter quas numerari potest crescens deterioratio magnarum urbi, et consequens diminutio mediorum sustentationis.

Ad relationes consiliorum presbyteralium varii gradus quod attinet et episcopis, sensus coetus erat quod consilia dioecesana promovenda sint et magis effectiva reddenda. Consilia nationalia possunt habere bonus effectus, praesertim quando sacerdotes non habent in respectiva dioecesis possibilitatem sese exprimendi et consilia proferendi. Non clarum evadit quomodo consilium nationale presbyterorum possit commendationes exhibere consilio nationali episcoporum, quum hoc consilium episcopale, prater casus aliquos specificos et raros, facultatem non habeat legiferendi pro tota natione.

Patres coetus sentiebant etiam quod nullus bonus finis serviretur ex constitutione, in sinu Synodi, commissionis specialis ad examinandum modum inserendi religiosos et religiosas in generalem planificationem pastoralem dioecesis vel regionis. Hujusmodi commissiones magis efficaciter, uti viederetur, constituerentur a singulis conferentiis episcopalibus nationalibus vel regionalibus.

Relationes sacerdotes inter et fideles (pag. 25, 2), pendent ab illa realitate quae "personalitas" vocatur. Factum vitae est quod quidam sacerdotes tale carisma habent, dum alii non habent. Nimis saepe episcopi et sacerdotes dispositi sunt ad adhibendos laicos vel laicas pro activitatibus in quibus utiles esse poterunt, sed eosdem sedulo excludunt ab activitatibus pastoralibus et a solutione problematum quae exinde oriuntur

DE SACERDOTIO ET COELIBATU (pag. 26):

Ad mentem circuli nostri, omnino oportet ut penitus tollatur omnis incertitudo aut haesitatio quae adhuc serpere posset circa confirmationem traditionis coelibatus in ecclesia latina: Si enim tuba sonum incertum profert.... Terminus "coelibatus optionalis" esset tollendus, quia decipere posset. Neque, putamus, convenit expressio "lex coelibatus", sed potius qualificatio aliqua quae supponitur in illo qui sese Episcopo presentat ad Ordines recipiendos in ecclesia latina. Acceptatio talis candidati illi qualificationi tribuit valorem oblationis publicae coram universa ecclesia, veri et auctenntici

sacrificii, quae ab ecclesia, per episcopum, acceptatur et rata habetur. Talis positiva optio coelibatus, ob motiva supernaturalis, differt omnino a selectione illius qui simpliciter praeferit vitae matrimoniali vitam coelibem.

Semper retinentes quod Romanus Pontifex poterit casibus quibusdam exceptionalibus providere, coetus noster consideravit tres propositiones in quibus formulabantur tres possibilates sub littera b), in pagina 26, sed ordine inverso. Duo Patres absentes erant. Propositio 3, decisionem relinquens conferentiis episcopalibus, rejecta est, votatione 16-1. Propositio 2, principium statuens ordinationis virorum uxoratorum, pariter rejecta est, votatione 15-2. In Propositione 3, decisum est, votatione 14-3, tollere incisum illud "in actuali momento ecclesiae latinae". Tandem in formulatione nova, illa propositio quae declarat ordinationem virorum uxoratorum in ecclesia latina non esse neque necessariam neque opportunam, approbavit, votatione 15-2.13-4

DE VITA SPIRITUALI SACERDOTUM (pag. 27):

Coetus agnoscit desiderium plurimorum sacerdotum qui cuperent in operositate ministeriali omne id quod necesse est ad vitam spiritualem sustentandam, retinet talem operositatem non posse sufficere, sacerdos etenim debet invenire tempus pro sua oratione privata et personali. Nolumus commendare redditum ad veteres formas orationis, etsi nemo valeat negare illas formas plura elementa pretiosa continere. Novae vero formae evolvendae erunt, sicuti, e.g. lectio meditativa S. Scripturae tamquam medium augendi propriam vitam fidei sacerdotis.

DECOMPENSATIONE O ECONOMICA (Ipag. 27):

De variis quaestionibus discussis, nulla practica conclusio erat possibilis, data differentia culturarum et traditionum nationalium. Omnes vero concordes fuerunt quod 1) congrua compensatio pro sacerdote est quaestio justitiae; 2) deberet statui, secundum adjuncta, aliquod system securitatis socialis pro sacerdotibus; 3) evitandae sunt, pro posse, magnae differentiae in compensatione sacerdotum qui in iisdem laboribus occupantur.

DE FORMATIONE SACERDOTALI (Pag. 27):

Etiam circa hanc quaestionem, quaestio contenta in Summatione tam vasta videtur ut nullatenus possibile sit formulare responsione adequatam. Plures Patres insistebant in necessitatem disciplinae et oboedientiae. Proponebatur ut seminaria, mutatis mutandis, inquirerent in modum quo magnaes societas commerciales et industrielles selectionem faciunt candidatorum ad officia responsabilitatis occupanda, et in modo quo ipsae sensum responsibilitatis in istis candidatis evolvunt. Dicebatur insuper quod omnino necessarium videtur juvenibus tribuere non solum responabilitatem, sed etiam ab ipsis exigere ut rationem reddant responsabilitatis acceptae. Nullibi alibi concederetur responsabilitas sine ulla necessitate reddendi rationem circa modum quo hujusmodo responsabilitas exercebatur.